

ut sano utens consilio sponte restituas alienum. Quod utique tibi et genti tue nec iniuriosum nec dampnosum existet, cum humiliter hoc petamus et suppliciter imploremus, maxime ne propter violentam¹ detentionem prefate provincie plus adhuc humani sanguinis effundatur. De cuius quidem detentione, preter quandam inanem gloriam forte plus difficultatis quam utilitatis accrescit². Daniele namque propheta testante³ didicimus, quod est deus in celo, qui revelat misteria, mutat tempora et tranfert regna, ut universi cognoscant, quod dominatur excelsus in regno hominum et cui voluerit dabit illud. Hoc autem evidenter ostendit, quando Ierusalem et fines ipsius in manus fratris tui tradi permisit, et non tam propter eius virtutem quam propter offensam populi Christiani ipsum ad iracundiam provocantis. Nunc autem ad dominum conversi speramus, quod ipse miserebitur nostri, qui secundum prophetam⁴ cum irascitur, non obliviscitur misereri. Unde illum imitari volentes, qui de se dicit in evangelio⁵: 'Discite a me, q[uia] m[itis] s[um] et h[umilis] c[orde]', magnitudinem tuam humiliter obsecramus, quatinus restituas eam nobis, ipsaque redita et dimissis utrimque captivis quiescamus a mutuis impugnationum⁶ offensis, ita quod apud te non sit deterior conditio gentis nostre, quam apud nos conditio gentis tue.

Latores ergo presentium, magistrum P. scriptorem et Rog[erium] militie templi⁷.

Teilweise gedruckt als Brief des Papstes vom J. 1213 an Malik el Adil, den Bruder des Sultans Saladin, bei Migne, P. L. CCXVI, 831 f.; vgl. Hefele, Conciliengesch. V, 876, N. 3.

1) 'violentā', i rad. 2) 'acrescit' Hs. 3) Dan. 2, 28. 29. 4, 14.

4) Ps. 76, 10. 5) Matth. 11, 29. 6) Zuerst 'impugnationib;', doch gleich corr. 7) Nach 'templi', das nicht ganz am Ende der Zeile steht, hat das Blatt einen kleinen Schaden, der das Weiterschreiben hinderte, doch ist der untere Rand noch 5 cm breit und bot also noch Raum genug für den Schluss des Briefes, wenn ein solcher in der Vorlage vorhanden gewesen wäre.